

## P R A E F A T I O.

decrevi ut plenè integrèque elaborato , non tamen ut in vasis vi-  
ventium contento , sed ut extravasato , lanceolàque è venis emis-  
so : quem tantùm circa Sanguinem aliqua faciendorum experi-  
mentorum opportunitas mihi suppetebat . Primo huic monito hoc  
jam alterum subjungo : de Sanguine Humano , ut ipse satis titulus  
indicat , in sequenti tractatu ago , qui à sanis tantùm corporibus edu-  
ctus sit ; tum quia , cùm artem medicam non profitear , nulla ade-  
rat opportunitas inspiciendi propius eorum Sanguinem qui pecu-  
liariis morbis afflidunt , ( quod non parum ad plenam Sanguinis  
historiam conducere potuisse ) ; tum quia notitia Sanguinis sanè  
recteque constituti indicat quibus & quot gradibus à perfecto sta-  
tu Sanguis in agrotis declinet , juxta receptum illud ab omnibus axi-  
oma , *Rectum est index sui , & obliqui* . Quapropter schema ti-  
tulorum ad sanguinem sanum spectantium facem præferre poter-  
rit ei , qui historiam morbidi aut depravati Sanguinis in particulari  
aliquo morbo , ut pleuritide , quartana , hydrope , scorbuto , &c.  
conscriptibere vellet . Institutâ enim comparatione qualitates inter,  
accidentiâque vitiati , sanique sanguinis , in præmemorato titulorum  
systemate tradita , non erit ardui opus laboris , Medico præsertim , sta-  
tim conicere ad quæ potissimum capita referri oporteat ea quæ à  
sani sanguinis dotibus multum recedere animadverterit ; hi autem  
recessionis , aut depravationis gradus , facta particularium quorum-  
dam , si quæ occurrant , additione , conflabunt Historiam Sanguinis  
prout in eo particulari morbo vitiari solet : generatim enim Lecto-  
rem admonuisse semel satis & supervacaneum quoque fortè fuerit  
in omnibus aliis Sanguinem hoc morbo laborantium non absimilem  
esse sanguini sanorum , ac rectè valentium .

TRA DV-